Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31650
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

sicut fulgur. & uestimentum eius sicut nix
p tumore aut ei exterriti sunt custodes.
& facti sunt uelut mortui. Quibus fuerant
tanto timore preterriti ut mortui putarentur. aut dormisse sepulchrū credendi sunt. aut ita & corpore & animo obtorpuisse. ut non dicam uiros. s; ne mulierculas quidē sepulchrum intrare cupientes auderent. prohibere. Magnus enim timor eos exterruerat. uidentes lapidē reuolutum & terremotum factum. ñ tremore solito s; magnū qui cuncta concusserit. & euersionē fundorū terre minaretur: angelum quoq; descendisse de celo. tam claro uultu ut non lampadis ex humano lumine, arte succense. s; fulgur immutaretur celi quo illustrantur omnia. Unde & in tenebris uidere potuerunt. que ita libere introeunt. Vidierat enim maria magdalena. que eis nunciauerat lapidem reuolutum. & corpus domini de monumento esse sublatum. Angelum autē non putem ideo uenisse ut aperiret sepulchrū domino resurgenti & reuolueret lapidem. s; postquam dominus resurrexit hora qua ipse noluerat & que nulli mortalium cognita est. indicasse quod factum esset. & sepulchrū uacuum reuolutione lapidis & sui ostendisse presentia. que omnia uidebant splendente facie ipsius. & horrore tenebrarū fulgore claritatis uincente. VII.

Quoniam matheus scribit. & marcus quod mandatum sit apostolis per mulieres. ut precederent saluatorem in galileam & ibi eum uiderent. Lucas autē & iohes in hierusalem eum ab apostolis usum esse commemorant. Aliud est undecim se offerre discipulis qui propter metum uidere abscondati erant. quando ad eos clausis ingressus est. ianuis. & putantibus quod in spiritu uiderent manus latus obtulit clauis & lancea uulnerati. aliud quando secundum lucam probauit se eis in multis argumentis per dies. xl. apparens eis. & loquens de regno dei. & conuescens precepit eis ab hierusalem ne discederent. In altero enim per consolatione timentium uidebat breui. rursumq; ex oculis tollebat. in altero autē tanta familiaritas erat. & perseuerantia. ut cum eis partem uesceret. Unde & paulus apostolus refert eum quingentis simul apparuisse discipulis. Et in iohe legimus. quod piscantibus apostolis in litore steterit. & partem piscis assi fauum q; comederit. que uere resurrectionis sunt indicia. In hierusalem autē, nichil horum fecisse narratur. VIII.

Quid sibi uult quod in euangelista matheo scriptum est. iesus autē clamans uoce magna emisit spiritum. & uelum templi scissum est in duas partes a summo usq; deorsum. & terra mota est. & petre scisse sunt. & monumenta aperta sunt. & multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius uenerunt in sanctam ciuitatem. & apparuerunt multis. Et de hoc loco in eisdem commentarius disseruimus. Primumq; dicendum quod diuina potentie indicium sit. ponere animam suam quando uoluerit. & rursum accipere eam. Denique centurio audiens eum ad patrem dixisse in manus tuas commendo spiritum meum. & statim sponte spiritum dimisisse. commotus signi magnitudine ait. Vere filius dei erat iste.